

DANIEL CAPPVN


DISSERTATIO INAUGURALIS

JURIDICA

DE

MATRIMONIO EUNUCHI





58,649  
SUPP.B

B. C. D.  
 DISSERTATIO INAUGURALIS  
 JURIDICA  
 DE  
**MATRIMONIO**  
**EUNUCHI**  
 Germanicè  
**SAPPHIUS ENDOCHESSE**  
 QVAM  
*Præside DEO T. O. M.*  
 EX  
 INDULTU ILLISTRIS ICTORUM ORDINIS  
 IN REGIA ARGENTORATENSIMUM  
 UNIVERSITATE  
**PRO LICENTIA**  
*Summos in Utroq; Jure honores &*  
*Privilegia Doctoralia rite capessendi*  
 SOLENNI Eruditorum examini  
 subjicit  
*Ad Diem 7. Octobr. M DCC XXXIV.*  
**JOH. DANIEL CAPPVN,**  
 ARGENTORATENSIS.  
 ARGENTORATI,  
 Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Univers. Typogr.

V I R O  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
atque CONSULTISSIMO,  
DOMINO  
FRIDERICO  
ZENTAROVIO  
SERENISSIMO PRINCIPI  
PALATINO - SPONHEIMensi  
GLOR. MEM. OLIM A CONSILIIS,


JAM ILLVSTRISSIMORVM COMITVM DE LEININ-  
GEN DACHSBVRG-FALCKENBVRG,  
EX DECRETO SVPREMI REGII  
IN ALSATIA SENATVS, CVRATORI  
PRUDENTISSIMO DEXTERIMOQVE.

AVO SVO OPTIMO,  
EVERGETÆ SVMMO  
SCHEDIASMA HOC INAUGURALE

348292



Humillima Mente  
consecrat  
Nepos ejus obsequiosissimus  
IO. DANIEL CAPPVN.



J. N. D.

DE  
MATRIMONIO EUNUCHI.

§. I.



Atrimonium Ecclesiæ ac  
Reipublicæ seminarium  
meritò dicendum est. Ex  
hoc enim totum descen-  
dit genus humanum, hoc  
medio propagatur atque conservatur.  
Hinc rectè *Justinianus noster in Nov. 140.*  
dicit: *Nihil, inquit, in rebus mortalium  
proinde venerandum est ac matrimonium.*

A

Ex

Ex nuptiis sunt liberi & omnis familiæ series. Nuptiæ regiones, & civitates frequentes reddunt; nuptiæ optimam rem publicam coagmentant. An igitur homines ad ineunda conjugia, ex juris naturæ principiis, cum sint socialis vitæ fundamentum, obligentur, adeò, ut ille, qui ad gerendas patrisfamilias partes idoneus, & cui copia decentis conditionis non dèst, sese excusare possit, hic inquirere animus non est, cum hac de re plura apud *Puffendorffum in libro de offic. bom. & civ. L. 2. c. 2. §. 3.* & *Job. Franciscum Buddeum in Elem. phil. pract. cap. 4. sect. 10. §. 4.* legi possint. Verum ego potius de contrariis nuptiarum verba faciam, consideraturus, an inter impedimenta justarum nuptiarum referendum sit vietum naturæ, ita ut ob impotentiam naturalem castrati seu Eunuchi à celebratione matrimonii arcendi sint? Difficilis certe atque intricata hæc est quæstio, cir-

ca quam inter Doctores non unanimis  
conspicitur opinio, prouti *Hieronymi  
Delphini collectanea de Conjugio Eunuchi.  
Hieronymi Brückneri decisiones matrimo-  
niales. Job. Georgii Simonis delineatio  
impotentiae conjugalis*, aliique testantur.

## §. II.

Cum igitur insignis librorum farrago extet, qui hanc materiam pertractarunt, noctuas Athenas ferre, delphinum cauda ligare, vel Sisyphi saxum volvere, vel crambem bis coctam apponere videor. Hinc certe quamplurimi erunt, quorum haud temerè mentes subeat miratio, quare ego, de hac materia à pluribus jam perlustrata, dicere animum inducam. Verum enim verò licet sint, qui hac in re ingenium exercuerunt, non irritum tamen laborem me suscepturnum putavi, si, quantum per vires & temporis

rationem liceat, argumentum hoc, aliqua saltem indagine perscrutari & per modum indicis saltem recensere sustinuero. Quia in tractatione, si forte non ita, ut ejus quidem requirit dignitas atque elegantia, versatus fuero, scias, Lettor benevole! me hic non vastum opus sed dissertationem academicam exhibere. Errores etiam, si quos inveneris juventutis meæ imbecillitati condona, atque pro tua humanitate corrige.

## §. III.

Antequam autem ipsi *de matrimonio Eunuchi* tractationi me accingam, in lumine statim præmittenda quædam esse existimo de derivatione & origine vocabuli *Eunuchi*, eum in finem, ut partim consuetudini in conscribendis dissertationibus hactenus solenni aliquatenus indulgeam, partim ut eò felicius deinde ad rem

rem ipsam progredi possim. Quod derivationem seu Etymologiam hujus vocabuli quod græcum est attinet, mirè circa hujus inquisitionem Doctores variant. Alii enim Eunuchum derivant ab ἔυνοις κυ-  
bile & ἔχω ago, babeo, & dicitur hoc in sensu Eunuchus is, qui lecti curam gerit, Germanice ein Kämmerer / solebant enim lectis eum in finem adhiberi, ut scilicet feminarum actus observent. Alii hanc vocem ortum suum trahere dicunt ab ἔυνος, quod significat bene affectum seu benevolum esse, hinc & ἔυνος benevolus dicitur. Sic eodem modo Eunuchi benevolam maritis fidelitatem præstare solebant. Alii vocis Eunuchi natales adscribunt verbis ἐν νόσῳ ἔχειν, id est bonam mentem habere. Venerem enim amentiam à priscis appellatam esse ex Aristophane constat. Hac amentia cum putarent Eunuchos carere contrariis vocibus compositis fecere nomen ἐν νόσῳ ἔχειν, pro-

uti testatur *Heinsius* *Introduct. in Hesiodum* cap. 6. ubi docet Veteres magistros continentiae quantumvis integros Εὐνύχους, appellasse. Et eleganter *Clemens Alexandrinus Lib. III. Pædagog. Cap. 4.* dicit: Εὐνύχος δὲ ἀληθὸς ἔχος μὴ δυνάμενος, ἀλλ᾽ οὐ μὴ βαλόμενος φιλοδέιν: *Eunuchus* verus est, non qui non potest, sed qui non vult dare voluptati operam.

## §. IV.

Nonnulli Eunuchos provenire contendunt à vocibus ἑυνυνοίχειας. Eunus enim dicitur privatus, orbatus. Hinc ἑυνυς est viduus & vidua, ὀχεία autem συνεσίαν id est concubitum significat. Quæ derivatio quam plurimis tanquam optima arridet, eo quod regulariter is qui testiculis privatus est, Eunuchus vocatur. Cui sententiae & ego adstipulor, præfertim cum vocabulum Εὐνύχιζεν nihil aliud denotet, quam Eunuchum facere, castrare.

re. Approbatur etiam per dicta S. Scripturæ e. g. *Matth. cap. 19. vers. 12.* ubi de diverso Eunuchorum genere mentio fit; agitur enim ibi de iis, qui abstinent conjugio, sive ex causa naturali, sive per homines sint castrati, sive libero animi proposito cælibatum acturi, & hi dicuntur spiritualiter sese castrasse propter regnum cœlorum. Ex quo patet varia esse Eunuchorum genera. Dantur enim qui natura sunt tales, alii qui fato aliquo, e. g. morbo aut clade sunt evirati, nonnulli quibus volentibus ferro aut invitis vel inscientibus, injuria scilicet hominum, diminuta sunt virilia. Sunt & alii, qui metaphorice ita vocantur.

## §. V.

Dixi antea, quod dentur quidam, qui ab ipsa genesi sunt evirati, verum eos natura fieri posse multi negant e. g. *Dion. Gotfredus in notb. ad Novell. Leonis 27.*

& alii, qui illos magis frigidis annumerant. Sed quicquid sit, nos de illis, quæ à natura dependent, nil certi constituerem possumus, præsertim cum tristia aliquando nos doceant exempla, quod homines nascantur, quibus natura membra humana vel ampliat, vel denegat. Si igitur possibile est partus generari posse sine auribus, sine manibus aut pedibus, sequitur, quod etiam possibile sit hominem nasci posse destitutum parte ad generationem necessaria. Et certe si verum est, prouti *Mr. D'ollincan dans son traité des Eunuques* testatur; quod talis Eunuchus natura talis anno Christi 1704. Berolini & aliis quamplurimi in locis vilis fuerit, certè nullus amplius dubitationi locus est, Eunuchos natura fieri posse, licet rarissime id contingat. Habemus & aliud exemplum in Dorotheo Præfule Antiocheno, viro eruditissi-

mo Græcè & Hebraicè docto; quo magnopere Aurelianus Princeps teste *Eusebio* delectabatur.

## §. V I.

Dantur deinde, qui morbo aut in clade aut injuria hominum ita evirati sunt, ut apud illos nulla spes prolis procreandæ supersit. Morbo id facile fieri potest præsertim apud illos, qui aut vitam sedentariam agunt, aut frequentiore equitatione utuntur, aut qui impuris actibus venereis indulgent. Hic autem bene observandum est, quod non omnes, qui morbo ad generandum incapaces facti, Eunuchi statim appellandi sint. Dantur enim, qui membris corporis integris ac incorruptis per temporale aliquod sanabile vitium nequeunt liberos procreare. *L. 6. pr. circa finem ff. de lib. & postb. hered. L. 6. §. fin. de ædil. edict.* Et hi in specie appellantur spadones, licet alias vocabulum

spadonis in genere omnes eviratos comprehendat, qui natura, arte, morbo, vel alio eventu tales sunt, ut in complexu venereo ad procreandos liberos munia virilia rectè obire nequeant.

## §. VII.

Actum hactenus fuit de illis, qui natura aut fato aliquo Eunuchi facti sunt. Nunc perlustrabo etiam illos, qui facto & injuria hominum evirantur. Certe hic modus, quo hominum sive volentium, sive ignorantium membra, quæ nascendi causam suppeditant, laciniantur, & perinde alia quasi creatura, quam qualis Conditoris sapientiæ placuit, cum maximo vitae dispendio in mundum introducitur, detestabilis atque nefandus appellandus est. Hinc bene canit *Ovidius de Amore Lib. 2. Eleg. 3. v. 3. § 4.*

*Qui primus pueris genitalia membra  
recidit,*

*Vulnera quæ fecit, debuit ipse pati.*

Originem

Originem autem Eunuchorum, quantum ad rem, si consideres, vetustissima esse videtur, & in primis mundi postdiluviani temporibus cognita. Qui vero primi castrationis inventores dicendi, de eo non unanimis Doctorum opinio est. Alii enim, prouti *Donatus ad Terentii Eunucb.* *Act. I. Scen. 2.* observat, Eunuchos à Persis, qui eos à Babyloniiis acceperant, institutos esse, dicunt. Alii castrandi originem ab Ægyptiis deducunt, quorum sacerdotes religionis causa Diis suis pudenda tanquam primitias sui corporis libabant. Huncque modum deinde ad nefandam libidinem Semiramem traduxisse dicitur ab *Amiano Marcellino histor. Lib. 4.* & *Job. Suev. in Comment ad L. 128. de Verb. sign.* & aliis quamplurimis.

### §. VIII.

Quicquid sit, hoc tamen certum est, apud Orientales Reges perpetuo polluisse

Eunuchos, adeò, ut nomen illud denique non sexus conditionem semper, sed officium denotaret. Hinc etiam factum est, ut per nomen Eunuchi non semper intelligantur illi, qui ad generandum impotentes sunt, sed & qui custodiam lecti habent castitatis conservandæ gratia. Quales jam tempore Pharaonis Pincernam & Pistorem fuisse Interpretes Sacræ Scripturæ prohibent. Sed ego, dum de Eunuchis in propria significatione loquor, tales insensu figurato sumtos excludo, ut & illos, de quibus mentio fit in dicto Capite *Mattb.* 19, qui scilicet abstinent perpetuò à vitiis & concubitu feminarum, propter regnum cœlorum, ut nempè Deo eo melius inservire queant. Quod tamen hominum genus rarissimum videmus.

### §. IX.

Intelligo ergò per *Eunuchum* hic nihil aliud, quam *Personam quæ facultate seu potentia*

*potentia generandi plane destituta est, propter vitium, quod ope Medicorum neque tolli neque curari potest.* Comprehendo iub hac definitione non tantum illos, qui natura tales sunt, sed & eos, qui facto tales, e. g. Castratos, qui propter exsecta virilia non habent spem prolis suscipiendæ. Item & eos, quos factum aliquod seu causus ita constituit. e. g. Thlibias & Thlasias, quibus attriti vel contusi sunt testiculi, ita ut emarcuerint, & tanquam emortua membra propendeant, exiles & frigidi, nullique usui amplius apti. Nec obstat, quod *Job. Calvinus in Lexico verb. Thlasiae* dicit, quod possint vitio sublato generare; quippe qui intelligit tales, quibus testiculi in totum attriti seu contusi non sunt, sed sola testium substantia contabuit, ipsisque præcipuæ parastatæ integræ manserunt. Rechte enim hi ut & spadones in specie sic dicti, item Monorchides, qui uno tantum testiculo præditi sunt;

sunt, sub nomine Eunuchi non veniunt.

## §. X.

His itaque præmissis, progrediar ad ipsam quæstionem, cuius dijudicandæ gratia hancce suscepi tractationem. Verum priusquam penitus eam introspiciam, præmittenda erit definitio matrimonii, aliaque principia & fundamenta conclusionibus hujusque quæstionis formandis apta, inquirenda erunt. Negotium enim hoc rectè æstimari non poterit, nisi natura matrimonii satis cognita satisque perspecta fuerit. Diversimodè autem matrimonium definiri solet, verum paucæ sunt definitiones, quæ rem exhaustiunt. Imo ipse *Grotius in tract. de Jure belli & Pacis Lib. II. cap. 5. q. 8. n. 2.* cuius facta post fata adhuc celeberrima sunt, incompletam nobis subministrat definitionem. Quare jure meritòque ab ea recedo, ac melioris farinæ eam esse existimo,  
quam

quam Illustris Bæbmerus in *Introd. ad Jus Digest.* P. 2. tit. de R. N. §. I. pag. 57. nobis exhibet, dum ita definit: *quod matrimonium sit legitima maris & feminæ conjunctio procreandorum liberorum & individuæ vitæ consuetudinis gratia inita.*

### §. XI.

Cum autem omnis definitio naturam rei explicare debeat, & naturam constituant causæ; hinc operæ pretium esse existimo, ut causæ hujus negotii adjiciantur. Et primo quidem causam efficientem quod attinet DEUM præcipuam ejus esse nos docet Sacra Scriptura *Gen. Cap. 2. vers. 22.* ubi dicitur: Dominum DEUM ædificasse Adamo uxorem ex ipsius costa sumtam, & ei adduxisse. Materialis conjugii causa est masculus ac femina ad procreandam sobolem capax. Causa quæ formam rei dat varia est, alia enim conspicitur apud veteres Romanos, alia apud

apud nos hodierno tempore requiritur. Forma enim moderna duplex dicenda, una, quæ ratione constitutionis necessaria, alia ratione executionis seu consummationis.

## §. XII.

Constitutionem quod attinet, matrimonium negotium consensuale esse, in que consensu matrimoniali formam matrimonii consistere essentialē satis constat. Atque hoc ipse *Ulpianus in L. 30. ff. de R. J.* innuit: ubi ex principiis Juris Naturæ loquitur: *Nuptias inquit, non concubitus sed consensus facit.* Benedictio verò sacerdotalis nō pertinet ad constitutionem matrimonii, sed ad ejus inaugurationem & majorem autoritatem. His igitur requisitis observatis ad perficiendas & consummandas nuptias necessariò requiritur thalami & thori consensio & accubatio ad conjugem. Hinc matrimonium à concubitu denominari solet in vernacula lingua

lingua Beylager. Quo respicit proverbium Gallorum: *Mariage est accompli, que les mariants couchent ensemble.* Hinc & benè volunt statuta Reipublicæ Francofurtanæ part. 2. tit. 3. §. 5. Dass beyde swann sie einander ehelich beytzegeu / erst rechte Ehe-Leuthe werden. Si enim conjunctio corporum non sequeretur, finis matrimonii primarius non obtineretur. Quamobrem si conjux ante moriatur, quam concubitus factus sit, sensu civili superstes pro conjuge non habetur, neque lucratur dona nuptialia, neque conjugum jure succedit.

## §. XIII.

Locatis itaque jactisque fundamenis, celeriter cursum perstringo atque ad ipsam quæstionem principalem depropero: perlustratus, an Judex sciens sponsum virtute generandi plane destitutum possit permittere, ut

matrimonium cum sponsa contrahere queat? Variæ hac de re inveniuntur Doctorum opiniones. Illi, qui negativam mecum fovent sententiam, sequentes pro se adducunt rationes. Et *primo* quidem Eunuchos ad matrimonium contrahendum inhabiles esse dicunt, qvia primarius conjugii finis, id est procreatio sobolis, nunquam obtineri potest. Ex quo patet tale matrimonium, si permitteretur, directò contrariari primævæ institutioni divinæ, dixit enim DEUS, *Gen. Cap. I. vers. 28.* *Crescite & multiplicamini,* quibus verbis eò intendit, ut mulier a viro mediante benedictione DEI fœcundetur, & prolis generatio subsequatur. Si igitur Eunuchus cum muliere plane cohabitare non potest, tunc loco concubitus matrimonialis a DEO ordinati non nisi scurrilis, lascivus & procax contractus ac feminæ abusus turpissimus exercetur. Nec obstat, qvod dentur quidam Eunuchorum,

rum , qvi congregdi cum uxore possunt ,  
 cum talis conjugalis cohabitationis opus  
 in merum lusum & contemptum contra  
 Dei primævam institutionem vertatur.  
 Licet enim coitum cum femina celebrare  
 possint , sine fœcundandi tamen potentia  
 id fit , & sine præsumptione fœtificationis ,  
 & sic semper benedictio divina , *crescit*  
*& multiplicamini* , ludibrio plane exponi-  
 tur.

## §. XIV.

Imo qvod magis est , talis conjunctio  
 eviraticum femina fœcunda omnibus piis  
 & castis scandalum præbet , qvi copulam  
 carnalem in ludum qvasi scenicum con-  
 verti dolent . Inveniuntur enim qvi-  
 dam Eunuchi , qvibus soli testes abscissi  
 sunt , qvi , licet boum instar concupiscen-  
 tiæ carnalis affectibus perpetuò exciten-  
 tur , & ad concubitum impatienter feran-  
 tur , feminis utuntur non ad gignendum

sed ad mortuum plane congressum instituendum, scurriles illiscum actus exercendos & libidinem vagam augendam, præterea per tales congressus feminarum ustionem extinguere nequeunt, imò pruritum potius in illis accendunt. Cum igitur femina tali Eunicho nupta, perpetuis ustionum flammis se objiciat, metuendum certe est, ne adulterium cum aliis maribus commissura sit. Quare recte *D. Carpzov. Jurisprudentia Consistor. Lib. 2. def. 16. n. 2.* ex hoc capite monet, non permittendum esse mulieri, ut Eunicho nubat.

### §. XV.

*Secundo* Eunuchi à conjugio arcendi sunt ex eo, quod in omni matrimonio requiratur viri & mulieris conjunctio, id est unio carnis. Nunc autem constat, conjunctionem Eunuchi cum femina non esse viri & mulieris conjunctionem, quia inhabi-

inabilitas corporis neque unionem carnis, neque conjugium admittit. Nam non aliter vir & uxor una caro fieri possunt, nisi carnali copula sibi cohæreant, id est, quando utriusque verum semen in utero miscetur, & ex eo una massa, unus sanguis, unum corpus, & sic quasi una caro fit, ex qua postmodum, si semen mixtum fuerit, & nullum aliud impedimentum intervenerit, homo nasci potest. Nec obstat, ut quidam credunt, quod per unionem carnis intelligendum sit mutuum adiutorium; nam verba divina, erunt duo in una carne, nil aliud significant, quam commixtionem corporum.

### §. X VI.

Cum igitur matrimonium Eunuchi tam primævam institutionem divinam, quam ipsam formam matrimonii tollat, recte secundum jura & divina & humana illud tanquam detestandum improbatur.

Divinam prohibitionem quod attinet, producunt quidam *Deut. Cap. 23. vers. 1.* ubi Deus ita de illis loquitur: *non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis & abscisso veretro Ecclesiam Domini.* Quid per Ecclesiam hic intelligendum sit, maximopere dubitatur; alii enim pro matrimonio sumunt, alii per illam denotare volunt officium aliquod politicum. Quicquid sit textum in Novo testamento *Cap. 19. Matth. vers. 10. 12.* & alii adducunt dicentes, Christus Eunuchos seu castratos a conjugali vinculo tacite eximisse, & licet tantum mentionem faciat de castratis, nihilominus tamen credendum est, ipsum etiam implicite locutum esse de omnibus impotentibus ad generandum, quia eadem ratio adest prohibitionis in his, quae in illis. Præter haec etiam alia S. Scripturæ loca pro assertione hac affert *Brucknerus in decis. Jur. matr. Cap. 11. pag. 410.*

## §. XVII.

Quamobrem potius progrediar ad Jus humanum, & qvidem primò ad Jus Civile, & videbo, qvomodo & ex qua ratione hoc societatem conjugalem Eunuchis denegat. Exhibitetur nobis in corpore Juris Civ. *Novella Leonis* 98, quæ matrimonium Eunuchorum itidem penitus damnat, annexitque quæstiones, an Eunuchos in matrimonium conjungi liceat, & an istiusmodi conjunctio matrimonium vocari possit, imo an illa, quæ in matrimonio peraguntur, eis liceat perficere? Duas potissimum prægnantissimas prohibitionis rationes affert, scilicet benedictionem sacerdotalem & geniales amplexus propter utriusque sexus fœtum; quæ ambæ rationes, cum in irritum cendant, Eunuchum, qui ad matrimonium proce-

procedere comperitur , stupri pœna obnoxium pronuntiat, sacerdotem vero, qui ejusmodi conjunctionem profanato sacrificio perficere ausus fuerit, sacerdotali dignitate denudat. Præterea etiam dubiis, quæ obmoveri poterant, satisfecit Imperator Leo, prouti ipsius Novella docet. Præter hanc Novellam Leonis habemus & aliam constitutionem civilem scilicet l. 39. c. 1. ff. de Jure dot. ubi *Vlpianus* rescribit, *si mulier castrato nupserit, dotem non esse, ratio, qvia ubi nullum matrimonium est, ibi & nulla dos.*

### §. XVIII.

Ex prædictis ergo satis liquet, matrimonium cum Eunicho Jure civili esse improbatum ut illegitimum. Quorsum & intendit Jus Canonicum, videatur *Can. 1. Caus. 33. quest. 1. in quo statuitur, si vir & mulier se conjunixerint, & postea dixerit mulier de viro, quod non possit coire* cum

cum ea, illudque probari possit per justum  
judicium, quod verum sit, illa accipiat ali-  
um. Deinde approbat etiam hoc Cap.  
2. X. de frigidis & maleficiatis. ubi expres-  
se sancitum ab Alexandro III. legimus,  
*sicut puer, qui non potest reddere debitum,*  
*non aptus est conjugio, sic qui impotentes*  
*funt, minime apti ad contrabenda matri-  
monia reputantur.* An vero Leonis Pon-  
tificis Maximi assertum in Cap. 17. Caus.  
27. quæst. 2. huc trahi possit, de eo ad-  
huc dubitatur, qvia, ut aliqui dicunt,  
textus ille corruptus reperitur. Illud autem  
certum est, qvod nuptias Eunuchorum  
novo edicto & proprio motu Sixtus V.  
Anno 1587. die 27. Jun. prorsus damna-  
verit, prouti videri potest in Bullario Ro-  
mano Tom. II. pag. 587. quando dixit:  
*committimus fraternitati Tuæ, & manda-*  
*mus, ut conjugia per dictos aut alios quo-*  
*cunque Eunuchos & Spadones utroque teste*  
*carentes cum quibuslibet mulieribus præ-*

*dictum defectum sive ignorantibus sive scientibus contrabi prohibeas. &c.*

§. XIX.

Verum non desunt, qui cum Consistorio Lipsiensi apud Delphinum in collectaneis de *conjug. Eunuch.* contrarium statuere contendunt, dicentes, quod Jus Canonicum nullibi Eunuchos à matrimonio repellat, immo quod personæ impotenti vel vitio corporis laboranti conjugium cum aliqua, cui de vitio aut impotentia constat, matrimonium contrahere permitti possit, ex ratione, quia Romana Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quantum uxores habere non possint, habeant ut sorores. *Cap. 4. & 5. X. de frigidis & malef.* Sed quicquid sit, facile objectio hæc destrui potest, nam primò si verba horum capitum inspiciamus, claram patebit, quod mulieri facultas concessa sit, matrimonium tale, si velit, ex hoc capite rescindere, quia liberorum procreationi

tioni operam dare nequit ob impotentiā mariti, qvam per certum tempus experta est. Cæteroquin tamen si cohabitare nihilominus voluerit, virum eam non ut uxorem, sed ut sororem habere posse dicitur.

## §. XX.

Deinde & illud dici posset, qvod illi, qvi contrarium statuunt, proprio gladio se jugulent, id quod probat argumentum, qvod ex allegatis Capitibus desumi potest. Nam si maritus feminam non amplius ut uxorem considerare possit, seqvitur, qvod nullum amplius inter illos sit vinculum conjugale, eò qvod consensus matrimonialis effectum suum consequi non valeat, proinde matrimonium ipso facto revocatum & nullum dicendum. Tertio & illud huic objectioni regeri posse existimo, qvod prædicta capita loquantur de matrimonio jam contracto cum viro, qvi ex postfacto impotens repertus fuit, ego vero loqvor

de nuptiis celebrandis cum Eunicho,  
qvem judex impotentem esse non ignorat.

## §. XXI.

Præter has allegatas objectiones multæ adhuc aliæ pro matrimonio Eunuchi afferuntur rationes, qvarum aliquas hic ad jicere operæ pretium esse autumo. Dicunt enim quidam, qvod procreatio sobolis solus finis principalis matrimonii non sit, sed qvod insuper accedat atque requiratur mutuum adjutorium. Priorem hunc finem posteriorem quidem includere & supponere dicunt, verum posteriorem nempe mutuum adjutorium sine priori subsistere posse affirmant, id qvod probant exemplo conjugii senum, qvippe qvod conceditur per *L. 27. Cod. de Nuptiis.* Verum primò ratione finium respondeo, fines hos matrimonii diversos atq; distinctos esse, sobolis enim procreatio est finis primarius & principalissimus, mutuum adjutorium autem finis secundarius. Et licet

mutuum

mutuum adjutorium requiratur in sobole procreanda, quia sine tali adjutorio obtineri nequit finis, tamen mutuum adjutorium non absolute & simpliciter sed respectu ad usum conjugalem in generatione & educatione liberorum & administratione rei familiaris finis principalis appellari potest.

## §. XXII.

Respectu senum verò, quod illi, non obstante, quod finis primarius cessat, nihilominus nuptias adhuc contrahere possunt, non ob generationem liberorum, sed ut habeant adjutorium, observandum est, 1) quod *in Lege 27. C. de nuptiis* dicitur, id in senibus esse legis obsequium atque humanitatis solatum. Ex quo ergò videmus, quod speciale quid in frigidis ex senio constitutum sit. A quibus tamen ad Eunuchos non valet consequentia. Hi enim præscita concubitus fœundi impossibilitate perpetuo laborant ; Senes vero aliquando beneficio aliquo moveri & suas vicissitudi-

nes habere possunt, corpusque eorum senile viribus pristinis aliquo modo restitui potest, & non raro fieri solet, ut etiam in senio generare valeant, prouti Abrahami exemplum & alia, quæ *Lauterbachius in Colleg. Pandect. ad tit. de ritu nupt.* refert, testantur.      §. XXII.

Quamobrem hæ & aliæ rationes, quæ adhuc contra meām assertionem allegari possunt, & quibus in ipso conflictu satisfacere conabor, à negativa sententia ut discedam, me non movent, sed potius calcar addunt, ut pro aris & focis eam pro viribus defendam, statuens, quod conjugium Eunuchi sit congressus primævæ ordinationi divinæ adversus, naturæ inimicus, & in sanctum matrimonium ignominiosus; proinde talem societatem tanquam cum perpetuo scandalo conglutinatam in Ecclesia Christiana non permittendam imò jam contractam dissolvendam esse publica exigit honestas.

*T A N T U M.*

